IOANNIS PETRI FRANK M. D.

S. C. & R. M. a Consiliis Gubern. Mediol.
Facultatis Medicae per Insubriam Austr.
Praesid., & Clinicae Ticinens. Prof.
p. & o. Reg. Acad. Scient.
Goetting. &c. Sodalis

ORATIO ACADEMICA

DE

SIGNIS, MORBORUM EX CORPORIS SITU PARTIUMQUE POSITIONE PETENDIS

Habita Ticini Reg. die 24. *Maii*
1788.

TICINI.

IN TYPOGRAPHEO PETRI GALEATII
PRAESID. REI LITTER. PERMITT.
ANNO MDCCLXXXVIII

Digitized by Google

Digitized by Google

AUDITORIBUS SUIS

IO. PETRUS FRANK
S. P. D.

Desiderastis quondam, ut Oratiuncula haec Academica typis ederetur, in usus Vestros convertenda. Atqui Vota haec, cupienti mihi quovis modo Vestris inservire commodis, legem faciunt, & lubens sermonem, inconcinnum satis, sed ut quidem auguror, utilem, Vobis, Commilitones optimi dedico. Addidi serius quaedam hinc inde Medicorum Principis *effata in aeternum vera, uti salem cibis, qui eodem indigent, inspergimus, dein,*

ut Divini Senis *experientiam , & futurorum cognitionem & admirari possetis , & mentibus Vestris profundius inculcare . Plura Vobis ad Aegrotantium lectulos exponere soleo ; sed iuvabit quondam , ex illis aliqua non soli committere memoriae . Chartas igitur hasce , o boni ! quo Vobis traduntur , animo suscipite , & in Aegrotantium salutem convertite . Dabam Ticini Regii die* 12. *Novembris* 1788.

Digitized by Google

D E

SIGNIS MORBORUM EX CORPORIS SITU PARTIUMQUE POSITIONE PETENDIS

ORATIO ACADEMICA.

QUae morbos hominum aut frequentius producere, aut inveſtiganti Medicorum oculo melius patefacere, aut demum rectioris curae regulas tradere queunt, *Rector Magnifice*, *Patres Sapientiſſimi*, *Commilitones Ornatiſſimi*! ea certe Medicae Orationis obiectum largiuntur numeris omnibus abſolutiſſimum, atque Oratori, ſermonis elegantia etiamſi deſtituto, apertas tamen, patulaſque verbis aures promittunt. Saepius vero, dum, in docendis Medicinae Practicae legibus, Aegrotorum ad lectulos verſor, ſaxoſas hinc inde incultaſque ſatis vias conſpicio, per quas, ſi aliqua induſtria praepararentur, aut brevior Iuventuti, aut facilior ſaltem ad aedes AESCULAPII pateret aditus. Non multo abhinc tempore, de morbis Viſcerum, abdominis cavo latentium, attentius explorandis, ad lectum age-

bam, & praecepta hoc ſerio in opere a Medicis obſervanda exponere conabar. Promiſi tunc, ne dicta Tyronibus memoria citius exciderent, me quaſdam ex illis, data ſcilicet occaſione, accuratius eſſe expoſiturum, atque magna ſupereſſe monui, quae de corporis humani variis formis & poſitionibus, *morborum cauſſa*, *indicio*, *&* *medela*, forent exponenda.

Quod ad primum ſpectat, expoſuit quidem ſuo iam tempore egregius RAMAZZINUS praeclara circa morbos artificum, qui ex varia corporis apud eoſdem poſitione dependent, momenta, atque Ill. etiam TISSOTUS, quae mala literatis viris, ex iiſdem fere cauſſis, imminent, non minori cum evidentia demonſtravit. Poſſum igitur, licet & hic non inutilia differendi copia ſupereſſet, ad ſecundam pede ſicco tranſire argumenti partem, atque in aliam occaſionem haec ipſa differre, ut vobis hodie paullo ſuccinctius exponam, quid ſignorum, *ex mutato partium*, *corporiſque ſitu*, quid auxilii *ex recto partium ſingularium*, *ſub varia corporis infirmi poſitione*, *examine*, ad ſecuriorem morborum diagnoſin, vobis ſit exſpectandum. Non certe in tam brevi ſermone tam vaſtam ego materiam, hic exhauriam, nec in rerum novitate gloriam, ſed, quam officii ratio a me poſtulat, Iuventutis, pro qua hic loqui iubemur, utilitatem conten-

do. Neque ſterilis mihi, in rerum etiam communiſſimarum conſideratione, aperietur campus: nam & inter has, quamplurima pedibus conculcantur ut viles, quae, ut in mortalium commoda convertantur, non properantem nimis novitatum venatorem exſpectant.

Qui ſani corporis non modo fabricam internam, ſed & habitum externum rectius cognoverit, fatebitur ille, ſanitatem & in exercendis functionibus libertatem omnimodam, a partium inter ſe, tum quoad volumen, figuram & compagem, tum etiam quoad ſitum & poſitionem naturalem, meliori proportione, quae veram pulchritudinem conſtituit, protinus dependere. Cuivis ſexui, aetati cuivis ſua hic eſt perfectio, atque tum viſcerum, tum aliarum etiam partium ſingularis diſpoſitio, *infantem* a *ſene*, a *muliere virum*, iam primo adſpectu diſtinguit. Plura hic a natura ſunt; plura iterum a ſola educationis phyſicae ratione, & a conſuetudine demum dependent. Ipſa etiam hominum temperamenta ad corporis formam, & ad partium, totiuſque compoſitionem mirum quantum contribuunt, adeoque iam in externo corporis habitu quam plurima latent, quae ad humanae machinae conſtitutionem plus minus perfectam concludere permittunt. Si, quemadmodum *faciem*, ita totam adulti hominis nudam ſuperficiem membrorumque

habitum externum, integumentorum abſque larvis quotidie perluſtrare liceret: haberemus certe ex *tam ampla*, & ſuper totum quaſi corpus *extenſa facie*, quamplurimas *Phyſiognomiae* medicae, & exactiores illis regulas, quas ex ſolo *vultu*, quem aſtuti & artificioſi homines componere magis didicerunt, deſumere ſolent illi, qui mentis rationem, ex integumentorum *plicis*, non inani prorſus ſtudio, hariolantur. Eſſet certe magna ex *Phyſiognomiae Medicae* maiori ſtudio ſperanda utilitas, neque hoc ipſum ad ſolius vultus confinias eſſet limitandum. Ex ſolo iam ingreſſu, & ex confabulantium adeo actionibus, temperamenta hominum, & quae apud illos interius ſuccedant, cognoſcuntur. Tota illius ſuperficies, quem terror vehemens concuſſit, contrahitur & palleſcit: cutis aſperior redditur & anſerinae ſimilis, eriguntur capilli. Irati hominis corpus in omni fere puncto inflammatur; & quos moeror atque triſtitia conſumit, hi poſt paucos adeo dies cachecticorum colorem habitumque induunt & flaveſcunt. Quid non ſola prodit membrorum poſitio! . . . flacceſcunt carnes, & ad ilia pendent luctuantium brachia, flectuntur ſub inerti corpore genua & tremunt, paſſus lenti ſunt, & iugulum nolentibus ad anteriora deflectitur, aut cubitu ſuper genu inflexo caput aegrum ſuſtinetur & palpebrae col-

labuntur. Furentem ira hominem conſiderate, quam fixis illé minantibuſque oculis adgreſſorem intuetur & fulminat, quamque contractis ad aures genis dentes dentibus confricat, pectus attollit, inſpirat profundius, mox animam in faucibus ammittit, giganteos celereſque greſſus metitur, brachia nunc tendit, nunc contrahit; ſalientem in praecordiis vitae fontem non videtis tantum, ſed auribus etiam pulſantem percipitis, & tremor omnes nunc muſculos convellit.

Sed dum haec in ſano homine ita conſtituta ſunt; quam manifeſta non in morboſo corporis ſtatu ſigna, ex ſolo partium externo habitu, & poſitione diverſa produntur! Aſt vero in his rectius exponendis ordo requiritur, ut, quid in exactam morborum diagnoſin exinde trahendum ſit, cognoſcatur. Primo igitur de ſingularum partium poſitione, ut ſigno, & de aegritudine per ipſam decubitus rationem detegenda loquar; dein vero totius corporis rationem breviter habebo.

De *capite* ut incipiam, iubet viſceris in hac oſſea theca latentis dignitas & ſummus cum caetero corpore conſenſus. Quam magna *Neonatorum* capita ſunt, ubi haec cum extremitatibus corpuſculi conferantur, & quam laxa hic oſſium adeo inter ſe diſtantium cohaeſio! Atqui & hic ſrequentiſſima, in prima homuncionis aetate,

morborum ſedes eſt : ut vel ex hoc ipſo cohaeſionis inter calvariae oſſa defectu , tot hydropes , tum in ipſius adeo foetus , tum in biennis adhuc pueri capite , quot quidem in nulla hominis aetate conſpiciuntur , ſint derivandi . Ad partem faciei ſuperiorem locus eſt , qui inter oſſium frontis & parietalium angulos patet , atque perpetuo ſalit . Atqui ex tota huius , tum & poſterioris , quae ad occiput eſt , ut vocant , *fontanellae* directione , dum adhuc in ſinu materno naſciturus retinetur , explorans obſtetricantis digitus , ad capitis infantilis tum rectam , tum iniquam poſitionem , & ad ſingula , quae huic opponenda ſunt , auxilia chirurgica , concludit . Neque ipſis etiam mulierculis ignotum eſt , quod quamplurimos quidem Medicos latet , ex poſitione oſſium calvariae , & ipſorum in longius apud puerulos conſervata ſeparatione , debilitatem infantis prodi . Quotquot hac quidem in aetate *Rachiticos* vidi , illi omnes , longiſſimo tempore , incohaerentem oſſium calvariae compagem mihi offerebant : ex qua , capitis volumen praeter naturam auctum , vel ex hoc demum ipſo , tardior futurarum perfectio naſcebatur . Praevidebam ſaepe ſub hiſce circumſtantiis necdum exiſtentem in parvulis Rachitidem , vel etiam non inanis interni hydrocephali , herniaeque cerebri metus abhinc medentibus incutitur , licet non in omni

certe hydrope interno cerebri, caput magis tumeat.

Neque parvum aquarum in hoc ipſo nobiliſſimo viſcere collectarum ſignum eſt, dum, praeter alia, morbi, cognitu difficillimi, ſymptomata, *horizontalem* inprimis corporis *ſitum* quaerunt, dum caput elevatur, exclamant, aut hoc idem non niſi in unam partem, in qua ſcilicet maxime dilatatus eſt ventriculus cerebri, pulvinari imponunt, manum alteram fronti, bregmatique inferius iacenti, frequenter admovent, in uno potiſſimum corporis latere magis occupantur, atque ſubinde paralyſi in hoc, in altero vero convulſionibus afficiuntur.

Ex ſola oſſium calvariae ſingulari diſpoſitione, ad diverſos ſic capitis morbos rectius concluditur: uti in Epilepticis, maxime in pueris, qui a partu atque ex calvariae, toties ſub hoc & in pelvi materna, vel, a manu obſtetricis rudiori, iniquam formam adquirentis organico defectu, in morbum attonitum rapiuntur. Ex ipſa capitis forma ſingulari, & verbis difficulter deſcribenda, ſaepius homines mente raptos, antequam id aliter prodidiſſent, dignovi: caput nempe magnum erat, & a fronte, vix convexa retrorſum, verſus ipſum verticem ac occiput, praeter morem, voluminoſum, aut quovis alio modo evidenter a forma conſueta aberrabat.

Qui ad *Apoplexias* maxime ſunt diſpoſiti, iis caput utplurimum maius, & humeris ita ſuperimpoſitum eſt atque turgidum, ut ſine intermediis fere vertebris cum trunco coniunctum diceretis, niſi ſub ingreſſu ad pectus gererent declinatum. Quos *pectoris hydrops* tenuit, illos, dum, lecto diutius inhaerere impotentes, ſellaeque continuo affixos, caput ſupinum & ad pectus uſque deflexum tenere, cum perpetua in ſomnum proclivitate viderem, - in cranii cavo aquas poſt mortem oblaturos eſſe, ſine difficultate praedixi.

Sed quantum non ex ſola *oculorum* poſitione & directionibus variis apud aegrotantes concludimus (*)!... Quam profunde in orbitis

---

(*) De oculis ſequentia monet HIPPOCRATES:
„ Si lumen refugiant, aut ſine voluntate illachry-
„ mentur, *aut pervertantur*, *aut alter altero mi-*
„ *nor fuerit*, aut quae in his alba eſſe debent,
„ rubeſcant, atque in iiſdem venulae lividae,
„ vel nigrae ſint, aut ſordes appareant circa
„ oculos, aut etiam *aſſidue mobiles*, *tumidi*,
„ *vel admodum cavi facti*, aut ſqualentes & obſcu-
„ ri fuerint, aut *ſupercilia curva* aut *rigida*,
„ aut vehementer maculoſa, & *vultus* lividus,
„ & *adſpectu terribilis* denteſque lividi fiant, aut
„ color totius faciei immutatus fuerit, haec om-
„ nia mala & pernicioſa eſſe, exiſtimandum eſt “.
Prognoſt. Sect. I. c. 2.
„ Si in praecordiis pulſus inſit, perturbationis vel

ſepulti iacent in tabe, vel febre lenta & hectica laborantibus! Quam retracti in melancholicis, in canina rabie, oculorum bulbi! Quantumque non replentur, ut globos continere vix poſſint, orbitae, in hominibus ad ſyderationem, ad ſoporoſos adfectus diſpoſitis, in aſthmaticis ſubiectis, atque in ipſis etiam phreneticis! Iuvenem vidi in terris *Spirenſibus*, cui oculus, ex orbita prolapſus, ſuper genam propendebat: infelix vero *exoſtoſis* orbitam repleverat, & ex nativa ſede ſic oculum propulſit. In Puella, idem oculi prolapſus, ad cyſticum in orbita haerentem tumorem concludere iuſſit, quem ipſo demum cum oculo exſcindi oportuit. Quid ipſius bulbi hydrops, quid facta in cavo oculi ſuppuratio in eiuſdem poſitione immutet, hic non adduco.

Sed maior adhuc eſt, quae directioni huius viſceris naturali adverſatur, muſculorum hoc ipſum moventium adfectio morboſa: quae, nunc in uno, nunc in ambobus, tam ex conſenſu, quam ex propria paſſione, nunc in tetano & convulſionibus, nunc in paralyſi, aut in virium inter antagoniſtas ſublato aequilibrio,

---

„ delirii indicium eſt. Verum *oculos* eorum in-
„ tueri oportet. *Si* enim *pupillae ſaepe movean-*
„ *tur*, *exſpectanda inſania*. " Id. ibid. c. 3.

conſiſtit. Apud Neonatos, ex oculorum contorſione, & dum per ſemiclauſas palpebras, converſâ ad frontem cornea, pars tantum albugineae tranſparet, inſtantes ſaepe convulſiones praevidemus (*). In ipſo iterum hydrope cerebri puerorum, oculi detorti obſervantur & luſci, ut uterque nares, rarius tempora reſpiciat; pupilla interim aut tertio ſaltem, aut in ſecundo iam morbi ſtadio, utplurimum dilatatâ, aut quae, ſi ad primam luminis actionem adhuc conſtringatur, mox iterum ad ampliorem diametrum redit, non amplius conſtringenda, niſi in rariſſimo caſu, in quo, ex admoto naribus volatili ſpiritu, datoque analeptico. dilatari viſa eſt WYTTIO. In ipſa cerebri inflammatione, in morbis ex dentitione, ex vermium aut ſaburrae gaſtricae congerie, in convulſivis demum affectibus, oculorum, aut ſaltem pupillae, poſitio mirum in modum perturbatur, quae omnia de futuris nunc delirio, nunc convulſionibus, attentum in ſingula Medicum admonent. Qui in

(*) „ Ex ſitu oculorum, inquit PROSPER ALPINUS, perverſiones admodum ſunt lethales, „ ni critice appareant, cuiuſmodi fuit oculus, „ nono die, in eo. *Lib. 3. Epidem. p. 1066.* „ *Aegr.* 3., qui *in Dealcis horto* ſtrabo & diſtortus “. PROSP. ALPIN. de praeſagienda vita & morte Aegrot. c. VII. p. 215.

ſyncopen lapſuri ſunt, ii conſtanter fere oculos primum fixos, palpebraſque apertas offerunt, antequam humi proſternantur, vidique ſaepe pueros *internis* convulſionibus detentos, ad quorum externum quidem corporis habitum nihil praeter ruberrimam faciem, oculoſque fixos, nonniſi albugineam per ſemiclauſas palpebras oſtentantes tunicam conſpicere licuit.

Sed & patentium in paroxyſmis aſthmaticis *narium* hic recordemur, & alarum, in ſuffocaturis, ex utroque naſi latere motum, & hiantes antri facialis receſſus. Quam magnam faciei ſic dictae *Hippocraticae* partem habet naſus in acumen deſinens, & quam characteriſtice Phthiſicorum vultum, tum hic ipſe, tum genarum, temporumque excavatio diſtinguit!

Quid non ex *labiorum* oris poſitione aut directione mutata concludimus (*)! Saepe poſt leviores etiam inſultus, quos pro lipothymia,

(*) „ Si vero *palpebrae*, aut *labra*, aut *nares* una „ cum alicuius alius ſignis acceſſione *pervertantur*, *aut corrugentur*, aut liveſcant: noſſe oportet, morti proximum eſſe. Lethale etiam eſt, „ ſi *labia reſoluta & pendentia*, *& frigida*, albicantia fuerint". HIPPOCR. Progn. Sect. I. c. 2. Monet vero PROSPER ALPINUS, quandoque *labium tremulum criticum* praecedere criſin per vomitum, uti GALENUS docuit, & apud HIPPOCRATEM habetur. PROSP. ALP. l. 5. cap. VIII. p. 221.

aut ſomno longiori ſpernunt homines, angulus oris ad ſuperiora trahitur unus, alterque mox depreſſior videtur. Quodſi comparente hoc ſigno, non omnem, quam ſibi meretur attentionem faciat Medicus, fatali tandem ſyderantur apoplexia & in hemiplegias inſanabiles proſternuntur. Quem non abſterreat, accedens, poſt leve licet vulnus inflictum, vel in morbis etiam internis, diſtractio oris maior, aut eiuſdem ad riſum deplorabilem compoſitio, aut maxillae inferioris ad ſupernam continua adpreſſio? Quem denique latet tremoris labii oris, praecipue infimi, de latente in primis viis ſaburra, ſignificatio? ... Quem vultus, ad flentis fere hominis imaginem, in tetano, contractio? ... Quis rugas puerorum ad frontem cernens faciemque infantum ſenilem, de atrophiae praeſentia non cogitabit? Quis denique ignorat, ex ſola labii oris ſuperni praeter modum tumidi, nec tamen inflammati, aut dolentis, verſus naſum revolutione, ſaepiſſime ad *ſcrophuloſum* hominis habitum poſſe concludi?

De *auribus*, quoad poſitionem, formamque externam, ſigna quidem prognoſtica in homine vix alia traduntur, quam ab ipſo iam HIPPOCRATE fuerunt adnotata (*) cum in cae-

(*) Aures frigidae & contractae, & imis partibus inverſae -- peſſimae. Prognoſt. Sect. I. cap. 2.

caeteris animalibus, non parvae auctoritatis momenta derivari abhinc queant. Sic rabidi canis aures mox inflectuntur & cum cauda pendent; apud equos, boveſque, dum febricitant, aures immobiles, frigidiores, aut rigidae, funeſta praedicunt. Plura ex animalibus, vel ſolo aurium motu, nunc timorem, nunc iras, nunc attentionem animi maiorem indicant. Forte & humanae auri ſua in morbis ſigna non deeſſent, niſi a prima mox infantia, calvariae continuo adprimerentur, muſculorumque, per quos regi poſſent, ſic virtus omnis elideretur. Sed ſi de aurium externo, ad morbos huius organi, aut capitis etiam interni, detegendos, examine ſermo eſt, non ſpernendas hic regulas adducam oportet. Poſt ictus, factaſque capiti violentias, non raro ſanguis ex aure propullulat, partemque encephali magis laeſam commonſtrat. Aut abſceſſus interni per meatum auditorium externum ſibi viam pandunt, & poſito in aurem ſibi electam capite, materiae copioſius effluunt, & ſitu eodem conſtantius obſervato, felicius curantur, inſectorum ingreſſus, aeriſque, licet non omnino impediendi, continua alliſio praepediuntur.

In omni aurium ſuſurru aut dolore, Medicus has partes ſolis radiis obverſas, dilatata prius digitis concha, oculis ſubmittit, & obli-

quum ſic earundem ductum proſequitur. Puerum vidiſtis Commilitones honoratiſſimi, qui, ante duos nunc annos, Clinicam noſtram acceſſit, de doloribus non parvis, & de ſuſurru aurium continuo, per tres iam ſeptimanas, querelas movens. Vix facta, pro more expoſito, dolentis partis exploratione, inſectum (acorus equinus) in profundo auris dextrae, comparuit vivum, validoque pedum motu ſeſe prodidit. Perſpecta morbi cauſſa, latitantem in aure inimicum tenaculis extraxi, puerumque ſub primo morbi examine ſanavi: quem, ſi, neglecta meatus auditorii perluſtratione adcuratiori, ex interna potius cauſſa derivaſſem: quam longe a vero aberraturus, quamque parum utilis aegroto fuiſſem, vos ipſi, qui, non difficili alias operi adſtitiſtis, eratis bene convicti.

Hoc ſolius quidem auris examen quandoque hic ſufficit; ſed ad ipſas etiam *maxillas*, praecipue in pueris, aurium inflammatione laborantibus, eritis attenti. Dentium enim molarium eruptio, aut, quod FAUCHARTI exemplo conſtat, eorundem caries, ſubinde hoc malum producit: cum nervus maxillaris inferior, cum minori ramulo, a portione dura nervi acuſtici proveniente communicet, atque ſic ſummum, aurem inter & maxillam inferiorem, conſenſum alat. Quare iam GALENUS monuit, in auditus vi-

tiis attendendum eſſe ad faciei caeteras laeſiones: ut locus, & nervus in cerebro laeſus innoteſcat. Neque certe, dum in auditus vitia inquirimus, *faucium inſpectio*, & num aliquid in ipſis lateat, quod *Euſtachii tubam* aut aditum per hanc ad auris internae penetralia, comprimere, obducere, obturare, aut conſolidare poſſet, minus aliquando erit neceſſaria. Iam BOERHAAVIUS ſcilicet monuit, in illis, qui venereo ulcere in faucibus laborarunt, cicatricem ſubinde remanere, quâ ipſum tubae auditoriae oſtium in fauces patulum, incorrigibili prorſus errore, occluderetur; neque defuerunt exempla tonſillarum, quae, ſcirrhoſo tumore adauctae, eundem fere in vicinam tubam effectum habuerunt. Quis febris *quartanae* rebellis ſedem in *maxillis* quaeſiviſſet? Vidi tamen in Militari Noſocomio, quod hac in Urbe eſt, Virum militem, quem haec febris, per menſes iam plures, contra omnem artis operam, excruciaverat: cum interim ad *mandibulam* dolor & tumor eſſet. Attentius examinato tumore, dentem, quem *ſapientiae dentem* dicunt, in ipſo latere, compertum eſt, atque cum illo, febris pertinacioris cauſſa iacebat ſepulta: vix enim ab egregio Chirurgo Cohortis Caeſareae, D. NOBIS, diſſecto ſuper excreſcentem trabem oſſeam gingivarum tegmine, diſparuit dolor; & febris

ipſa, quae in corticem chinae iniuria hucuſque perduraverat, fuit expulſa. Ut vel ex hoc iam exemplo, alia enim hic non adducam, videri poſſit, quid de CULLENII ſententia, *febres* omnes *intermittentes* ex *palludum miaſmate* derivante, ſit ſentiendum.

Nec minoris, in morborum examine, *dentes* eſſe ſolent ponderis. Licet enim, cum Anglis quibuſdam Medicis, dentes *coloris lactei* ac *tranſparentes*, pro characteriſtico *pulmonalis Phthiſeos* ſigno non habuerim; ſaepe tamen in hoc morbo tales obſervavi. Sed hic non adeo de colore atque externo habitu, quam de *poſitione* partium mutata, ſermo eſſe poteſt. Neque de luſu naturae, perfrequenti quidem, loquar, per quem ordo dentium aut duplex protruditur, aut inordinatus eſt admodum: hoc enim non adeo morborum ſignum eſt, quam quod linguae laeſionibus ſub maſticationis opere anſam porrigat, oriſque venuſtatem deturbet. Sed firmitatis dentium, arctaeque aut laxae gingivarum ad ipſos adhaeſionis ratio omnino habenda eſt, dum *Scorbuti* ſuſpicio premit, aut in *luis* curatione mercuriali verſamur. Qui *Rachitidi* infantes laborant, ii mandibulas dentibus ſpoliatas in prima iuventute iam offerunt. Caeterum *dentium ſtridor* iam HIPPOCRATI damnatus,

dicenti : „ Si quis ſtrideat dentibus, non con-
„ ſuetus a pueritia ita efficere, inſania ſignifi-
„ catur, aut mors; ſed in utriſque futurum
„ praedicere periculum, neceſſe eſt. Si vero
„ mente commotus ita efficiat, admodum exi-
„ tioſum iam eſt (*) ".

Linguae vero, ex qua tam magna in morbis ſigna petuntur, plurima, ex poſitione diverſa, eſſent indicia, niſi mobiliſſimus hic muſculus, & quae in eo contingunt, Medicorum oculis ſaepius abſconderentur. Interim non pauca ab hoc tam volubili viſcere deſumuntur. Quanta nempe in febribus gaſtricis, in putridis, convulſivis, rigiditas linguae non ſupervenit, quanti non tremores eandem, dum ore exſerenda eſt, commovent. Vix a voluntate amplius dependet haec particula, & volenti etiam exſerere, officium recuſant muſculi. Quam ſaepe apoplexiam indicat praevia linguae, imperfecta licet, paralyſis & denegata ad ſingulorum verborum conſuetam pronunciationem compoſitio? ... Sed nonne in vix nato iam homine quamplurima ex ſola linguae poſitione morboſa, ſunt incommoda? Certe ob nimiam frenuli hanc partem colligantis brevitatem, ipſa uberum ſuctio praepeditur ſaepius; ex nimia vero eiuſdem lon-

(*) I. Prognoſt.

gitudine derivandae ſunt hinc inde tenerorum infantum ſuffocationes : dum converſus retro ad fauces linguae apex, has ipſas praecludit, & niſi, celeri digito a laryngis confiniis relevetur, puſionem ſtrangulat. Propendens ex oris cavo lingua apud canes, in herum moroſos, non parvum rabiei ſignum exhibet.

In *Spinam vertebralem*, qui in morborum cauſſas inquirunt, utplurimum iuſto minus ſunt attenti, cum tamen in malis nervoſis toties hoc in *dorſali cerebro* illae lateant. Brachiorum, crurum, ipſius pectoris, veſicae urinariae, atque inteſtini recti etiam morbi, frequentius quidem ac vulgo creditur, ex oſſeo hoc tubo, *ex totidem cerebellis, quot vertebrae ſunt, compoſito*, originem trahunt. Egregie hic Medicinae Parens inquit: „ Medulla vero ſpinali aegrotarit, ſive „ ex lapſu, ſive ex alia aliqua cauſſa, ſive ſua „ ſponte, homo & cruribus imbecillis fit: ut „ neque ſi tangatur, percipiat, & ventre, ac „ veſica, ut circa prima tempora, neque ſtercus, neque urinam egerat, niſi coacte. Cum „ autem vetuſtior factus fuerit morbus, non ſentiente homine, & ſtercus prodit, & urina. „ Moritur autem poſtea non multo interpoſito „ tempore (*) ". Meretur hinc, praecipue

(*) Praedict. lib. II. cap. XI.

apud infantes, his in morbis omnibus, inprimis tum ad nucham, tum ad dorſum, lumbos, ipſumque os ſacrum reſpici. Sic *Spina bifida* non infrequens puerulorum morbus eſt, & *Kyphoſis*, ex qua ſaepe extremitatum inferiorum paralyſis oritur, quamque ſaepius methodo ab egregio POTT commendata, curare licet, non raro ut cauſſae morborum, quibus crura ſyderantur, veſica urinalis rectumve inteſtinum reſolvitur, a Medico, minus attento partium corporis examinatore, praetervidentur. Non ignota vobis eſt Medici apud MORGAGNUM hiſtoria, qui anatomicarum cognitionum incurius, pro meſenterii ſcirrho tractavit tumorem durum ad abdominis regionem tactu perceptum, licet nihil eſſet, quam ipſa ſpinae lumbalis curvatura, in extenuato homine, vacuiſque inteſtinis, ad abdominis compreſſionem facile ſentienda.

Brachiorum torpor in hydrope pectoris & anaſarca, aliquando non adeo ab aquis in pectore effuſis, aut ſubaxillarem celluloſam infarcientibus, quam a ſeroſa colluvie, in ipſo *dorſalis ſpinae* cavo haerente, ortum ducit: uti in adultis aliquoties hydropicis medullam ſpinalem contractam admodum, & in duriuſculam molem, ab aquis undique circumfuſis, compreſſam inveni. Nonne in prima iam hydropis cerebri puerorum periodo, brachium ſuperius pectori

adprimunt aegrotuli, nec manum facile extendunt? Quod certe ex aquis ad ſpinam iam delapſis originem deſumit.

Sed & *pectoris morbi*, qui tam magnas in diagnoſi difficultates agnoſcunt, non parva certe offerunt, quae ab exteriori partium examine adcuratiori dependent. Atque in ſanis adhuc hominibus, ex ſola pectoris perluſtratione, quam plurima futura praevidentur, praeſentia dignoſcuntur, ubi ad mutationes circa illud contingentes quidquam attentius verſamur. Sic, dum caeterum corpus in longum latumque extenditur in Iuvene; thorax vero anterior planus remanet, parumque a ſpina dorſali in arcum ſeparatur, pulmonum morbos Phthiſeſque non raro praevidemus. In ſexu ſequiori glandularum utrimque pectori adpoſitarum quanta non pro diverſa aetate mutatio! Vix in tenera adhuc dum puella has partes exſurgere & turgeſcere obſervant, cum menſtruum fluxum mox exſpectare iubentur. Quovis dein menſe *ubera eriguntur* magis, rectumque papilla cum pectore angulum conſtituit, ad obtuſum magis deſcenſura, poſtquam ſanguinis ad uterum concurſus maior & excretio ceſſaverit. In *ſterili* Muliere, atque in illa, cui purgationes deſunt, mammarum hic luſus & *fluxus*, ut ita dicam, & *refluxus* deſideratur (*). Aegrotaturae Mulieri

(*) „Quaecunque in utero ſe concepiſſe putant, &

mammae mox flacceſcunt ; collabuntur & propendent. Graviditatem incipientem, mammarum reſurrectio, intumeſcentia, ſeroſumque demum ſtillicidium prodit. Alias haec non adeo *foetum*, quam aquarum, ſanguinis, aliorumque in utero collectiones ſignificant. In *puerperarum* morbis, uberum inſpectio & examen adcuratius ſummae dignitatis eſt: licet enim haec in ipſa etiam *febre puerperali*, lacte adhuc, quod aliquoties obſervavi, turgeant; utplurimum tamen vacua mox collabuntur & gracileſcunt. Idem fere ſub *haemorrhagiis* uteri contingit: cum e contrario, dum hoc viſcus inflammatione corripitur, ubera etiam non raro turgeant, & in conſenſum rapiantur.

Sed maiora circa pectus ipſum hic dicenda remanent. A ſitu nempe & poſitione diverſis, in quae aegrotum convertimus, non parum lucis ad morbi cognitionem accenditur. „ Quod ſi, „ dum morbus viget, aegrotus velit reſidere, „ ait HIPPOCRATES, hoc in omnibus acutis „ morbis malum; in pulmoniis vero peſſimum

---

„ non conceperunt, & per multos menſes fallun- „ tur, menſtruis purgationibus non apparentibus, „ & ventres augeri, aut moveri vident, hae & „ caput dolent, & collum, & praecordia, & in „ mammis lac ipſis non innaſcitur, niſi modicum „ quiddam, atque id aquoſum “. HIPPOC. praedict. lib. II. c. 14.

„ eſt (*)“. Qui *cordis* morbos examinaturus eſt, uti palpitationes ſunt, & hydrops pericardii, & polypi cordis: ille, ſi aegrotantem in *dorſum* poſuerit, de illius vibrationibus parum admodum eſt percepturus: hinc in genua cubituſque decumbere ita iubeat hominem, aeremque profundius inſpirari curet, ut ſub hoc motu, ad inferiora & anteriora cor ipſum ſe convertere cogatur, atque manui hoc reddatur quam proximum.

Pleuritidem occultam dignoſcere docuit BAGLIVIUS, dum febre acuta & diſpnoea laborantes altam iubebat ducere reſpirationem, & mox, ob extenſos pulmones adfectos, violenter tuſſire obſervabat. Non loquor hic de nova methodo, qua AVENBRUGGERUS pectoris hydropem per thoracis pulſationem diſtinguere docuit: ubi enim pulmo, quod ſaepius fit, cum pleura concretus eſt, vel ubi craſſos, pingueſque corpore homines, in hunc morbum procliviores, examinamus, vel ubi parca adhuc ſeri quantitas ad imam thoracis partem ſuper diaphragmate ſtagnat: ex ſono pectoris nihil omnino eruere poterimus. Sed inane certe non eſt experimentum, iubere, ut aegrotus, pectore cum capite profundius poſitus, retracto ad inte-

(*) Prognoſt. S. I. c. 3.

riora abdomine; quo diaphragma ad thoracis ſuperiora cogatur, poſtquam exſpiraverit, ſeſe celeriter ex uno pectoris latere in aliud mox devolvat, utque ad ea, quae in hoc contingant, attentus ſit; quo ſaepius undulationem ſeu fluctuantes in pectore aquas perſentiet, tum ipſimet ſaepius adſtantes audient, niſi plenius iam pectus a ſero collecto, vel ſpiſſius hoc fuerit, vel ſacco incluſum: quo in caſu in undas commoveri non poterit. Certe iam antiquiſſimi Medici aegrotos vel empyemate, vel hydrothorace laborantes fortiter concutiebant, & ex percepta, ſub hoc thoracis motu, fluctuatione, ad aquas in pectore haerentes concludebant. Sic & in exteriora pectoris attenti ſumus, ubi de tali ſcilicet morbo ſuſpicionem nutrimus: notum enim eſt, non raro in pectoris morbis *oedema* naſci ad dorſales muſculos, longiſſimum dorſi, quadratumque lumborum: ex quo tumore, magna de latente in cavo pectoris ſeroſa, aut purulenta collectione naſcitur probabilitas. Pulmonum quamplures inflammationes obſervavi, quae felicem omnino exitum promiſerant: atqui ſubito, & quin ratio ulla de his apparuerit, in peius ruebant, & ſumma mox ſuffocationis pericula ex improviſo naſcebantur. „ Quare iam „ HIPPOCRATES, hydropes, inquit, ex acutis „ morbis, omnes mali: neque enim febrem ſol-

„ vunt , & cum dolore ſunt vehementi , ac „ lethales (*) “ . Obſervabam tunc ſemper, eadem celeritate *brachium oedemate intumuiſſe* : atque poſt mortem , in eiuſdem lateris cavo thoracico , aquas inſigni copia, pauciſſimo tempore, collectas vidi , & me inventurum eſſe praedixeram . Hic eſt *hydropis acuti* , ex *Pleuritide* vel *Peripneumonia* , ſpecies: contra quam , ſi , quod in decem fere cadaveribus vidi , per ulteriores ſectiones confirmetur prognoſis , mihi propoſuerim , ſub talibus rerum circumſtantiis , cum aliud non ſit , quod hic iuvare queat , ad pectoris paracentheſiń deſcendere , aquaſque tam cito effuſas emittere : cum fere ſemper pulmonem hic non adeo infarctum viderim , ut ex eiuſdem inflammatione mortem aegrotantes obire debuiſſent.

In quod latus , qui Pleuritide , aut Pleuroperipneumonia laborant , decumbant , aut decumbere poſſint , id quidem minime ſedem inflammationis deſignabit : cum aegrotantes nunc in adfectam magis , nunc in liberam thoracis partem facilius decumbere queant . Iuſſit vero SWIETENIUS , ut dolentem in Pleuritide locum , vel atramento , vel emplaſtro, Medicus notaret : ut , ſi forte in ſuppurationem morbus abiret abſceſſuſque futurus eſſet , locus , in quo ſectio

(*) Prognoſt. S. II. c. 5.

abſceſſui propior fieri poſſet, a Chirurgo pernoſceretur. Sed multum abeſt, quin tam ſecura ſint conſilia: dum aliquando in hoc pectoris loco dolor ſit, & punctionis atrociſſimae ſenſus: dum, obſervante etiam amiciſſimo quondam STOLLIO, inflammatio in longinquo ab hoc ſitu, & in adverſo adeo pulmone, poſt mortem fuerit detecta.

Sed quantae non, ſub examine medico, pectoralis morbi fallaciae ſunt, niſi, quaecunque habuerint, ſubſidia in auxilium vocent Practici! Chronica vexat hominem, in qua de pectoris ſtatu dubitatis, adfectio? . . Scalas hunc aſcendere, vel greſſus quoſdam, celeriori pede, moderato tamen, inſtituere iubete: mox vero ad ea, quae ad pectus nunc obſervaturi eſtis, & ad reſpirationis, & ad ipſius cordis motum & actiones attendite! — aut, ſi debilior, ſi aſthmate, hydrothorace, vel febre etiam acuta laborans aeger examinandus ſit, nunc ſedentem, nunc vero horizontaliter decumbentem reſpirare videte, aut ad ſermonem aliquem paullo continuatum aegrotantem incitate: aut potum pauliſper calidum porrigite uno hauſtu ingurgitandum: & nunc difficultates, quae ſe in aegrotante aut quieto magis, aut ſub erecto corporis ſitu, nequaquam vobis prodidiſſent, eſtis detecturi.

Plurimum certe intereſt, aegrotantium ſi-

tum, in morbis pectoris tum examinandis, tum pertractandis, non negligere: cum in ipſis etiam ſanis hominibus haec maximi momenti eſſe obſerventur. In *foetu*, recta fere linea caput a trunco intermediis ſeparatur vertebris: in *adulto*, convexam cervix lineam ad poſteriora magis deſcribit; quae mihi potiſſimum e conſuetudine, pulvinaria capiti infantili mox ſubſternendi, ſub continuato in dorſum ſitu, oriri videtur. Thoracis oſſa in teneriore aetate, a parvis etiam cauſſis, ubi diutius in illa egerint, morboſe inflectuntur. HIPPOCRATEM falſe accuſarunt, *Rachitidem* morbum, ſi tunc temporis iam exſtiterit, ignoraſſe. Certe ſequentibus apprime ab eodem praecipua eius ſymptomata cauſſaeque adnotantur: „ Quibus pueris oculi repente diſtorti „ fuerunt, aut maius quoddam malum pepeſſi „ ſunt, aut tubercula ſub cervicem oborta ſunt, „ aut linguae haeſitare ceperunt, aut tuſſes ſiccae „ diuturnae adhaerent; aut ubi adoleverint, do„ lor contendit ad ventrem neque conturbatur, „ aut *in lateribus diſtorſiones patiuntur*, *aut venas* „ *craſſas circa ventrem varicoſas*, aut omentum „ deſcendit, aut teſtis intumuit, *aut manus te*„ *nuis & impotens*, *aut pes*, *aut tibia tota* „ *clauda facta eſt*, *citra aliam cauſſam; his* „ *omnibus ſciendum eſt*, *morbum iſta omnia* „ *praeceſſiſſe*. Et plurimi, qui pueros educant,

„ ſi interrogentur ; fatebuntur ; quoſdam vero „ etiam res latet, negantque ſe ſcire, quid- „ quam tale contigiſſe (*) “. Alio vero in lo- co : „ Quicunque, inquit, gibboſi ex anhela- „ tione, aut tuſſi fiunt, ante pubertatem pe- „ reunt (**) “. Qui certe finis plurimorum eſt, qui pueri ex Rachitide ad pectora ſpinaſque intorquentur. Ex decubitu in idem ſemper latus recurvo nimis, apud illos praecipue infantes, qui in Rachitidem ſunt diſpoſiti, vertebrarum ſpinae non raro in tumores, aut gibbos elevantur, non niſi maiori matrum ſedulitate & quotidie mutata decubitus ratione praevertendos. De *Rachiticis* conſtat, in eo inprimis latere ſpinam reperiri ſcapulis viciniorem & morboſe inflexam, cuius brachium maxime in uſu eſt aut prae altero exercetur. Plura de variis oſſibus, de pelvi, de cruribus dici poſſint ; niſi, quae ad poſitionem corporis, prout *cauſſam* morborum, pertinent, in aliam occaſionem differre mallem conſideranda.

Qui catarrho ſuffocativo, aut tuſſi ferina laborant infantes, aut qui, ex his, lac ſolum, quod avidiori labro ex maternis mammis ſuxerunt, quod frequentiſſime faciunt, regurgitant,

(*) Praedict. lib. II. c. VII.
(**) Aphoriſm. Sect. Aph. 46.

dum *horizontali* in ſitu, inque dorſum poſiti cunis decumbunt, niſi adſit, qui eoſdem accedente inſultu erigat, ſaepiſſime ab haerente in faucibus tenaciſſima materia, quam aut exſcreare, aut vomere non poſſunt, ſuffocantur. Eadem adultis fere contingunt, qui, noctis tempore, a ſanguine e pulmonum vaſis maiori quantitate, aut, poſt vomicae rupturam, a puris copia, quam ſub reclinato pectoris ſitu excernere non poſſunt, ſtrangulantur. Qui aſthmate, hydrope pectoris, aut orthopnoea, aut pulmonum phlegmone difficulter aegrotant, ii, niſi in erecto pectus ſitu teneatur, inprimis dum ſumma purulenti tenaciſque humoris copia in thorace ſtertit, facillime ob reſpirationis ſubitaneam impotentiam pereunt: atque ex hinc videtis, Commilitones Optimi, quanta non, ex funeſta illa conſuetudine, morituris, ut facilius citiuſque ad Caelos migrent, *pulvinaria ſubtrahendi*, infortunia ſuboriantur. Obſervationes ſecurae docuerunt e contrario, quod ad exhauſtum iam viribus hominem e medio tollendum, ſufficiat, ſi *ſedentem* ſibi relinquamus: quod ſcilicet, hoc in ſitu, vires ad ſanguinem cerebro tranſmittendum deficiant, vel ob alias rationes. Quam magni vero non intereſt, delirantes a febre homines, vel eos tandem, qui ſoporoſis, aut apoplecticis adfectionibus, aut con-
fluen-

fluentibus variolis laborant; *erecto* magis capite corporiſque trunco in lectis, vel in ſedili ſuſtinere!

Maxima autem in viſcerum abdominis morbo laborantium examine difficultas eſt, niſi exactum ſatis examen ſuper his inſtituatur (*), & niſi in ſitum, qui cuique viſceri explorando convenit, aegrotantem collocemus. Qui in ſuſpecti *iecinoris*, aut & *lienis*, naturam inquiſiturus eſt Medicus, ille non in dorſum ſemper procubantem hominem, ſed in alio longe ſitu poſitum, examinandum habebit. Nunc enim conveniet, in pedes erectum, & in ſiniſtrum, aut cum *lien* examinandus fuerit, in dextrum latus inflexum hominem contrectare: quo in ſitu ſcilicet inferior viſcerum iſtorum limbus a coſtis ſpuriis magis liberatur, & exploranti digito redditur vicinior; — nunc in genua, cubituſque decumbere aegrotum iubebimus: quo fit, ut ſuo pondere *Iecur* ſub hypochondrio dextro nimis reconditum, aut & ſplenem ipſum, meſenterium, pancreas, infarcta, anteriora verſus magis ferantur, laxatiſque abdominis muſculis, maiorem inquiſiturae manui ſuperficiem expo-

(*) Quare HIPPOCRATES vere inquit: „ Qui „ manibus contrectavit ventrem, & venas, mi- „ nus falli poteſt, quam qui non contrectave- „ rit ". Praediction. L. II. c. 2.

nant; - nunc decumbente in dorſum aegroto, poſitis, inflexo genu, in talos pedibus, ventriſque prius relaxatis ſic integumentis, manus Medici infra coſtas dextri aut ſiniſtri hypochondrii ſpurias ponitur, atque his ipſis ad anteriora vi quadam elevatis, ſepultum ſub oſſeo hoc arcu *hepar*, aut *lien*, ad umbilici regionem prodire cogitur.

Quam facile vero pro abſceſſu nobis imponat praeternaturalis in cyſtide fellea bilis collectio, niſi ad tumoris poſitionem & confinias exactius reſpiciamus, non ignoratis. Ipſe quondam oculatiſſimus PETITUS in periculo ſe viderat, eiuſmodi tumorem, niſi maior illum reflexio à ſuſcepto tandem opere abſterruiſſet, incidendi. Certe vix in loci, quem eiuſmodi tumores occupant, ſatis cauti eſſe poſſumus determinatione. Abſceſſus hepatis, ad lobum huius viſceris dextrum aperiendi gratia, ſectio ſat profunda ſuper locum fluctuantem non ita pridem facta eſt: aperto vero cadavere mox conſtitit, illam vicinum attigiſſe inteſtinum caecum, per cuius membranas lanceola, ita tamen penetraverat, ut non integra inteſtini perforatio abhinc fuerit inſecuta.

Quaecunque vero huius cavi viſcera eſtis examinaturi, ea non in repleto prius cibis homine, ſed in *ieiuno* corpore facienda ſuſcipie-

tis. Quidquod, in obſcura magis morbi diagnoſi, neceſſarium eſſe poſſit, inteſtina prius & contento aere & ſaburris, vel leni evacuante, vel clyſteribus deplere: ne inflata nimis haec viſcera, defectus morboſque aliorum naſcondant. In genere vero, quae ſub hypochondriis latent viſcera, ea non niſi ſub maioris & protractae *inſpirationis* tempore rectius tactu explorantur. Quod vero ſub tali examine, muſculorum abdominalium aucta ſic tenſio rectius examinare impediverit, id mox ſub *exſpiratione* longiori opus ſuſcipere, & omnia tandem inter ſe comparare iuvabit.

Si aquis in abdominale cavum effuſis, necdum tamen multis, erectum in pedes hominem examinaturi eſtis; pondere tunc ſuo ad pelvis profunda delabitur liquidum, nec fluctuantes aquarum, digito compulſarum, undas eſtis percepturi: quas in decliviori corporis ſitu facilius percipere licebit. Si nimium iam venter ab aquis diſtenditur, & abdomen ob maximam plenitudinem, undulationem ſeri permittere nequeat; erectus magis aegrotorum ſitus explorationem facilitabit.

Saepius, qui *hernia* aut inteſtinali, aut omenti *verſatili* laborant, dum dorſo incumbunt, nec veſtigium quidem morbi, quem, ob varias contraindicationes abhinc petendas, adeo in-

tereſt non ignorari, Medicis offerunt. Vix pedibus vero inſiſtunt, greſſuſque aliquos inſtituunt cum praeternaturalem viſcerum poſitionem, & ad genitalia prolapſum, mox detegamus. Rarum eſt, hernias ſic dictas aquoſas, ſeu hydrocelen ab aquis circa teſtem collectis fieri, quae cum abdomine liberum alant commercium: vidi tamen aliqua, atque alii adnotarunt exempla, in quibus pudendorum tumor, non niſi ſub erecto corporis ſitu in conſpectum prodibat. Eadem de prolapſu tum vaginae muliebris atque uteri, tum ipſius etiam inteſtini recti, dicta ſunto.

Quos vel *Renum inflammatio* tenet, vel dira *lumbago* excruciat, illi, primo quidem adſpectu, multa inter ſe communia habent ſymptomata. Dolor enim lumborum acutiſſimus in utroque malo, regionem, in qua Renes latent, occupat, & halucinantem ſaepe in Diagnoſi Medicum, ad omnia licet attentiſſimum, relinquit. Vomitus certe, qui in *nephritide* adeſſe utplurimum conſuevit; a dolore ſummo, & a fortiori muſculorum lumbalium inflammatione, eodem prorſus nervorum conſenſu, hinc inde cauſatur; neque minus haec de caeteris nephralgiae ſymptomatis vera ſunt. Iubeto nunc corpus aegroti ad anteriora, & genua verſus inclinari: iubeto mox, ut inflexus ſic corporis truncus, celeriori quodam motu in ſitum magis rectum reclinetur:

dolor ab hinc ſummus ad inflammatos ; vel impeditos a *lumbagine* muſculos lumborum naſcetur, qui vix notabilis erit in *nephritide*, niſi in ſummum iam tumorem renes excreverint. Inflammationes, quae muſculum *Pſoam*, *Iliacumque internum* occupant, difficulter admodum dignoſcuntur, & in paucis, quas de hoc morbo habemus, obſervationibus, uti apud MORGAGNUM, & SCHOENMEZELIUM, in ſuppurationem funeſtiſſimam prius abiverunt, quam fuiſſent cognitae. Interim, praeter alia, profundioris inflammationis ſymptomata, illud inprimis lucem accendit, quod ex cruris affecti lateris motu & poſitione petitur. Quodſi enim crus iſtud abdomini vicinum reddere & plicare iubeatur aeger, ſub quo motu oportet tum *Iliacum internum* tum *Pſoam* muſculos inflammatos in actionem poni & conſtringi: acerbior mox dolor reddetur & in horizontalem ſitum crus elevatum relabetur; aut ſi motum adhuc aliquem aegrotans cum eodem ſuſcipere queat: non tamen inſiſtere cruri, aut ad greſſus, niſi corpore ad anteriora multum inclinato, componere, atque ſub manifeſta tantum & doloroſa *claudicatione* poterit.

Quis non hominem, *Colica* violenta laborantem, ex ſola iam trunci ad anteriora incurvatione, directiſque ad umbilicum utriſque mani-

bus, quam ex quocunque alio ſigno agnoverit melius (*). *Hippiatri* certe, ex ſola equorum cum capite ſ. cta abdomen verſus converſione triſtique oculorum adſpectu, tormina abdominis his in animalibus diſtinguere didicerunt. In *Colica* ſic dicta *Pictonum*, abdominales muſculi, ad ſpinam dorſalem fere uſque utplurimum retrahuntur.

In veſicae urinariae externo examine, quamplurima obſervanda ſunt, quae partim iam a me ſunt adducta. GALENUS quondam in Iſchuria iuſſit; „ puero aegroto ſupino figurato, ita ut „ crura reliquo corpore multo ſint ſublimiora, „ multifariam ipſum concutere, hoc ſatagens, „ ut lapis ex meatu recedat. Si puer abhinc „ urinam mittere poſſit, inquit, calculus dete„ ctus erit (**). " Rudis omnino eſt haec methodus, nec noſtro amplius tempore neceſſaria; interim tam abſurda non eſt, quin, ſi catheteris uſus ab aegroto detrectetur, veritatem prodere ſubinde non poſſit.

Ubi iam diutius Iſchuria afflixerit; veſica quidem extra pelvim aſcendit, diſtenditur & ta-

(*) HIPPOCRATES inquit: „ *Pronum in ventrem* „ *cubare*, ſi modo per ſanitatem non adſueverit, „ *delirium aut partium ad ventrem attinentium do-* „ *lorem deſignat* ". Prognoſt. S. I. c. 3.
(**) De locis affect. lib. I. c. 1.

ctui offertur. Interim ſub craſſiori & pingui admodum ventre, non tam facile eſt, hoc viſcus diſtinguere. Alia per inteſtinum rectum ad veſicam inquirendam via eſt: qua etiam Chirurgi, ad lotium, quod per urethram effluere recuſat, acu FLEURANTII incurva, exonerandum utuntur. Aſt, quod *utero gravido*, poſt tertium fere menſem contingit, ut ſcilicet locum ad ſui extenſionem in pelvi non amplius inveniens, ſitum ad ſuperiora abdominis convertat: hoc idem cum urinali veſica, dum praeter modum extenditur; contingit, digituſque exploratorius inteſtino recto commiſſus, priori viſceri non amplius par erit attingendo. Eadem tricuſpidem FLEURANTII difficultas premit, quae, perfoſſo licet inteſtino, veſicam altiorem nequaquam attingit, ſed vix ad urethrae partem inferiorem impingitur.

Cavendum vero ſummopere erit, ne veſica paralytica, lotio quamplurimo repleta, ob *fluctuationem*, quam, percuſſo abdomine, ſentimus, pro *aſcitide* habeatur, atque, infelici facile auſu, tricuſpide perforetur. Vidi certe aegrotum, cui veſica urinaria, ad ipſum uſque Diaphragma adſcendens, *totum* abdominis cavum occupaverat adeo, ut aſciten magnum omni modo venter, fluctuantes aquas offerens, referret. Aderat vero cum urinae tam magna *retentione*, *incontinentia* quoque lotii: ut quod, guttatim ex

urethra ſtillabat. In ventre manifeſta fluctuatio percipiebatur. Inſtituto interim per inteſtinum examine, mox vera comparuit mali natura & tumor, qui, ventre omnis contineri nequens, ad pelvim iterum deſcenderat, & corpus in hac ſiſtebat, quo, per inteſtinum, compreſſo, lotium ex urethra mox effluebat. Immiſſo igitur per hanc cathetere, ultra duodecim urinae librae extractae fuerunt, neque remanentem adhuc aliam extrahi conceſſi, ne aegrotus a tanta evacuatione in ſyncopen coniiceretur. Neque veſicae, & tumoris ab eadem tumente oblati pyriformis figura hic ſemper erit exſpectanda: In errorem ſic ductus ſum, ut pro hydrope cyſtico haberem, triplicem in Presbyteri abdomine tumorem; cum poſt mortem, uti alia occaſione adcuratius exponam, veſica urinaria praeter naturam conſtituta, inque duos omnino ſaccos diverſos extenſa ſiſteretur lotio repleta.

Saepe vero admodum *graviditas* pro hydrope, atque hic pro illa, impoſuit Medicis, qui ſolo abdominis examine contenti, ipſius uteri ſtatum non inquiſiverunt. In hydrope tum abdominis, tum uteri & ovariorum, non raro mammae ſororiantur & lacte turgent, licet foetus in utero nequaquam lateat. Interim utero gravido hydrops facilius, quam morbo ulli alteri adſociatur, & deſcripſi in *Actis Moguntinis* caſum

aſcitidis in gravida, cui Paracentheſis, quod utero ſe habere abſolute negaſſet, facta fuit, quin tamen extenſus uterus tricuſpide ab hinc laederetur.

Quid ex accuratiori conſideratione poſitionis, & formae oris uteri, in artem obſtetriciam emolumenti redundet, non opus eſt ut hic moneam: omnes enim huius eximiae ſcientiae indicationes a ſolo tactu atque cauta partium exploratione petuntur, atque in univerſum *Chirurgia* docuit, quid a ſola externarum partium perluſtratione, ſitu, poſitione diverſa, ad veram morbi cognitionem concludere liceat.

Ut hoc unicum ex arte obſtetricia beneficium referam, quod ex ſola partium poſitione fuit deſumptum: mulieres pelvi largiori praeditae, abſque ulla cauſſa, quae Medicis nota fuiſſet, ſubinde, in tertio fere aut quarto graviditatis menſe, ſubita lotii ſuppreſſione laborabant, contra quam nullo quidem artis remedio vel minimum praeſtari potuit. Aliquando & ipſa alvus pertinaciter atque ſimul obſtruebatur, atque ſic, optimo alias corporis habitu praeditae matres, obſtupentibus, qui curam gerebant, Medicis, pauco dierum ſpatio, vitam miſerrime finiebant. HUNTERO datum fuit, ut tantorum malorum in cadaveribus cauſſam demum detegeret. Uterus nempe, in ampliori pelvi liberius

fluctuans, fundo ſuo; in gravida; ponderatio-
ne, verſus os ſacrum *retroflectebatur*, atque hoc
ipſo ad vicinum inteſtinum rectum declinato,
inter alvum lotiique veſicam intercipiebatur adeo:
ut, quam fundus ſic in *Rectum* preſſionem fa-
ciebat: eandem os ipſum uteri, ſic impactum,
in anteriorem ſibi urethram feminae exerceret.

Vix autem cognita erat tam funeſti Phaeno-
meni cauſſa; cum unius digiti opera, ad vi-
tam matribus, pridem morituris, ſalvandam ſuf-
ficeret: qua ſcilicet, vix unius minuti tem-
pore, impactus inter inteſtinum, veſicam uri-
nariam atque *retroflexus* uterus, ad priſtinam
iterum ſedem converteretur. Quod vero HUN-
TERUS ex uteri *gravidi*, pelviſque amplioris
conſtitutione repetebat: id mihi, ante duos fere
annos, datum eſt in feminae etiam *non gravi-
dae* cadavere, detegere. Cum enim cadaver mu-
lieris ab alio morbo extinctae coram Audito-
ribus aperirem, atque in uteri poſitionem natu-
ralem eoſdem attentos reddere conabar: vide-
runt mecum omnes, *uterum*, primo adſpectu
quidem *nullum* protinus *apparuiſſe*. Mox accura-
tius in rem ſingularem inquirens, obſervavi,
fundum huius viſceris *retroflexum* fuiſſe adeo,
ut non ſolum iſte, ſed & maxima pars corpo-
ris uterini, ad ipſam uſque cervicem, retro
& ad inteſtinum rectum profundius lateret ſe-

pulta (*). Concluſi exhine; non raro a natura diſpoſitam eſſe ad uteri retroflexiones mulierem: atque haec forte cauſſa gravidis minus ſaepe funeſta eſt, quam quod ipſum ſaepius, ut ſuſpicor, *conceptionem* praevertat.

De *Artuum* poſitionibus mutatis pauca tantum inferius commemorabo. Ipſe vero HIPPOCRATES ſupplere hic poteſt, inquiens: „ De „ manuum geſtibus haec noſſe oportet: quoties „ in acuta febre, aut pulmonis inflammatione, „ aut inſania, aut capitis dolore, aegrum vi„ detis manus ante faciem attollere, & quaſi „ muſcas inani opere venari, & feſtucas carpe„ re, atque floccos a veſtibus, vel ab adiuncto „ pariete, ſi qua minuta eminent, evellere ea „ omnia mala eſſe, & mortifera cenſendum „ (**) “.

De *genitalibus* etiam effatum habet divinus ſenex, quod poſitionem partium concernit, dicens: „ Teſtes, & pudenda retracta, vehemen„ tes dolores & periculum ſignificant (***) “. Certe in calculo veſicae, balanus, ipſique ſaepe teſtes admodum retracti, & illius in gonorrhaeis *incurvatio* de vehementia inflammationis teſtantur.

(*) Pelvim huius mulieris, cum ipſo retroflexo utero in Muſaeo Pathologico *Ticinenſi* conſervavi.
(**) Prognoſt. Sect. I. c. 3.
(***) L. c. S. II. c. 5.

Quid dubitamus igitur, Commilitones Optimi, & artem *Medicam* beneficii huius participem reddere, & non ſolum ex partium ſingularum forma, ſitu & directione varia, ſed & a totius corporis poſitione in diverſas partes variata, aliquam in diagnoſi lucem quaerere, ut quae, niſi omni poſſibili modo eiuſdem colligantur radii, tam obſcura ſaepe in rebus medicis, & tamen in tenebris, per quas incedere oportet cui humanitatis ſolamen committitur, tam neceſſaria eſſe conſuevit!

Vellem nunc, niſi temporis metam iam excederet Oratio, & niſi veſtra, Patres Sapientiſſimi, timerem abuti patientia, ad illa deſcendere, quae circa totius corporis poſitiones varias, uti morborum ſignum, dicenda ſupereſſent; ſed quae in corporis integri poſitionibus & habitu per morbos variantur, ea faciliora ſunt cognitu, oculoſque medentium ſatis iam feriunt; dein vero ex illis, quae circa ſingularium partium conſtitutionem a me dicta ſunt, non difficulter eruuntur. Nonne ex ſolo iam hominum adultorum ingreſſu incurvo & vacillante, ſenectutem, cartilaginumque vertebris intermediarum oſſeſcentias, quibus corpora breviora redduntur & ad anteriora inclinantur, inſpicimus? ... Nonne haec ipſa ex ſolius etiam maxillae inferioris imminuta quaſi latitudine,

& in faciem maiori protuberantia ; denunciantur ? . . . Quam non univerſum corpus, in febricitantibus, aut graviori morbo detenturis hominibus, & poſitione, & forma, & volumine, a ſtatu ſanorum recedit ! . . . Nonne cuivis fere animi pathemati ſua eſt & propria corporis poſitio ? . . . Cur non ſua & morbo fere cuivis eſſet : in quos non internarum modo functionum, ſed & partium, quae ad formam, ſitum, habitumque totius contribuunt, tam manifeſta eſt laeſio ? . . . In genere, quo naturalior aegrotantibus decubitus eſt, totiuſque corporis poſitio ; quo minus haec a ſani adhucdum hominis conſuetudine abludunt ; eo meliora etiam in morbis abhinc praeſagiuntur. Sunt ſcilicet, qui, licet nullo vel thoracis vel contentorum in hoc viſcerum laborent vitio, a prima tamen iuventute uni tantummodo pectoris lateri incumbere adſueverunt, idemque in morbis facere continuant, quin mala exhinc maiora praeſagiantur, niſi quod certum ſit, malam eſſe, ſaniſſimorum alias hominum, conſuetudinem, & ad organicos partium defectus non parum contribuere, qua unam tantum ex his ipſis aut exercere ſolent, aut pro totius corporis fulcro ſubſtituere. Sunt, qui, non niſi in dorſum decumbere, atque elevatis, capitique ſubpoſitis brachiis ſomnum capere aſſueverunt : atque hi

non parum ſaepe ab inſomniis; reſpiratione querula, gemebunda & quaſi ab animali pectori inſidente, quod *ephialten*, ſeu *incubum* Antiqui dixerunt, anguntur; aut dum regionem renalem ſpinamque dorſalem continuo lecti calore exaeſtuant, nobiliſſimi liquoris iacturas frequentiores & involuntarias patiuntur, quod in iis praecipue, qui ex tabe dorſali laborant, aut, ob rei venereae abuſus, his partibus languent, conſpicuum fit. Qui, *Podagrae* cruciatibus ſubiecti, per plures aliquando menſes lecto affiguntur, neque truncum pro libitu movere queunt, hi non raro calculoſis ad renem aut veſicam ſymptomatis expoſitos ſe vident, quod non ſemper adeo ex arthriticae materiae cum calculoſa, maiori affinitate, quam ex perpetua corporis immobilitate & ſitu ſupino, quae calculorum generationi adeo favent, erit derivandum: exemplo ſcilicet infantum, qui ex eadem, ut videtur, ratione huic nempe morborum generi, prae adultis, ſubiiciuntur. Gravidarum, in unam potius, quam in alteram corporis partem, vel in erecto magis huiuſdem ſitu, decumbendi conſuetudo, ad *obliquitates uteri*, ſub partu adeo funeſtas, non parum certe contribuunt, eandemque ſolent praedicere. Quid *convulſo* homine, aut in illis, qui *tetano* rigeſcunt, aut *catalepſi* figuntur, ex mutata partium

corporiſque poſitione praeſagiatur; non opus eſt, ut adducam. Maioris vero momenti eſt, dum aegroti, vix a morbo quodam correpti, mox plumbeo fere corpore, & aucto quaſi eiuſdem pondere immobiles lectulo procumbunt, & non niſi maiori cuſtodum opera moveri queunt: ubi de ſumma iam virium proſtratione, & de reactione muſculorum omni fere ſublata, flebile teſtimonium nobis exhibent. Quid in morbis praeſagiendum ſit, dum aegrotantes, ſub finem acutarum, tum capite, tum trunco ad pedes continuo devolvuntur, experientia vos *Commilitones*, iam ad lectos docuit. Quam fatale omen decubitus graviter aegrotantium ferre ſoleat, dum, abſque omni pudore, nudato corpore, cruribuſque divaricatis aut lecto exſertis iacent miſeri & delirantes, non ignoratis (*).

(*) Generalia tradit hic iterum HIPPOCRATES: „ Iacentem autem oportet inveniri aegrotum a „ Medico ſuper latus dextrum, aut ſiniſtrum, „ manibus, cervice aut cruribus parum inflexis, & univerſum corpus molliter iacens. Sic „ enim plurimi ſanorum decumbunt. Optimi autem ſunt decubitus, qui ſanorum decubitibus „ ſimiles ſunt. Supinum vero iacere & manus, „ & cervice, cruribuſque porrectis, minus bonum eſt. Si vero etiam praeceps fiat, & de „ lecto delabatur ad pedes, magis horrendum.

Atque ex his tandem; multiſque aliis; quae ad lectulos vobis accuratius exponere ſoleo, videtis, o Boni! quantum ſcilicet interſit, Medicum, nec minimas quidem in morbis recte iudicandis praetervidere circumſtantias, quamque neceſſarium ſit, in tam magna adfectuum, quibus miſera humanitas premitur, varietate, omni ſenſuum fideliter uti miniſterio, quo tandem ad penitiorem morbi cognitionem & ad prognoſin rectius inſtituendam, perducamur.

Sed haec mihi hodie ſufficiant, ut ad vos denique Viri iuvenes, ad te VINCENTIUM SOLENGHI, *Placentinum*, qui tum in Medicina, tum in Chirurgia Lauream Doctoralem, - & ad vos PETRUM MARTELLI, *Lucenſem*, & IOANNEM DORTI, *Tyrolenſem*, qui ſummos in arte Apollineae honores, retuliſtis, me tandem convertam. Quemvis ex vobis per tres

---

„ Si vero inveniatur nudos habens pedes; ubi „ non fuerint admodum calidi, & manus, & „ collum, ac crura inaequaliter deiecta ac nuda, „ malum eſt: anxietatem enim ſignificat. Lethale autem eſt etiam ore hiante aſſidue dormire. Pariter & crura ſupine iacentis vehementer „ inflexa, diſiunctaque eſſe “. Prognoſt. S. I. c. 2. -- Alibi „ Oportet, inquit, eum, qui laborat, facile converti, & in adſurgendo levem „ eſſe. Sin autem tum reliquum corpus, tum „ manus, pedeſque graves eſſe videantur, maius „ periculum eſt “. L. c. S. II. c. V.

nunc fere annos ad lectulos aegrotantium conduxi, regulaſque artis perdifficilis edocui. Diligentiae & ſedulitatis veſtrae memoriam publicam hic facere, iuſtitia poſtulat, & duri, quos indefeſſi ſubiiſtis, labores exigunt. Talenta vobis natura non communia certe conceſſit, atque lucra abhinc, quotquot aetati veſtrae conceduntur, cepiſtis. Sed, ad artis exercitium converſos, alia nunc vos exſpectabunt, o Boni! Sola in Societatibus ſcientia non ſufficit: haec enim non niſi probos Viros ornat, aliorum vitia potius exaltat & cenſura reddit digniora. *Nemo Sapiens, niſi rectus*! & ſi ulli hominum, - Medico certe neceſſaria eſt morum integritas, & in omnes, cum quibus vivendum eſt, manſuetudo & charitas. Spem omnem in vos pono, qui primam, quam in vos poſui, iam ultro ſuperaſtis. Venite, *Commilitones* optimi! *Pileo* caput, *Annulo* digitos ornate, *Doctorum* inſignio. *Librum* vobis *aperio*: hunc diu noctuque revolvite. *Claudo librum*: ſic vos, dum natura aliter docuerit, quam ſcripta hominum, abiicite inſomnia, & ſolam experientiam auſcultate! Ite, *Doctores* artis, quam in ſolatia hominum divina conceſſit Providentia, amplexus congratulantis amici ſuſcipite, amate Populum, Academiam Ticinenſem! eſtote felices!

Digitized by Google